

**An sine periculo mortis omitti potest ligatura funiculi umbiliicalis [sic] in
recens nato? / [Eliphius Felix Verdun].**

Contributors

Verdun, Eliphius Felix.
Jadelot, Jean-Nicolas, 1738-1793.
Université de Nancy.

Publication/Creation

Nancy : S. Bachot, 1773.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g5c7m9t8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

325/3/P

47034

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO
P R A E N O B I L I Q U E V I R O
JOHANNI MARCO WILHELMO
D A C K W E I L E R,
JURIS UTRIUSQUE LICENTIATO,
CELSITUDINIS SUÆ SERENISSIMÆ ELECTORALIS RHENI PALATINÆ
C O N S I L I A R I O A U L I C O ,
JURISDICTIONUM CASTER ET JUCHEN, DUCATÙS JULIACENSIS
S A T R A P Æ V I G I L A N T I S S I M O ,
D O M I N O D O M I N O M E O
C O L E N D X S S X M O
*Solemne hoc Medicinæ specimen in æternæ gratitudinis, amicitiæ
& obsequii monumentum*
D I C A T , V O V E T , C O N S E C R A T
E L I P H I U S - F E L I X V E R D U N ,
THESEOS AUTHOR ET RESPONDENS.





DEO OPT. MAX.

QUÆSTIO PHYSIOLOGICA,

DISCUTIENDA IN AULA FACULTATIS MEDICÆ NANÇEIANÆ,

Die Jovis 5 Augusti 1773, horâ septimâ matutinâ.

P R Ä S I D E

Nobili Viro D. NICOLAO JADELOT, Regis Consiliario
& Medico, Facultatis Medicæ Professore Regio, nec non
Academiæ Regiæ Scientiarum & Artium Nanceianæ Socio.

*An sine periculo mortis omitti potest ligatura funiculi umbilicalis
in recens nato?*

I.

FETUS in utero conceptus brevi radicatur, & per placentam quasi planta suæ matri accrescit. An ibi propriam vitam gerat, an verò sanguine materno alatur non inquirimus. Aliquam communicationem inter matrem & fetus existere non dubitamus, cum catellam alimentis rubiâ tinctorum mixtis nutri-

tam viderimus, rubrum colorem ossibus fetūs communicasse. An verò per vasa sanguinea, an per vasa lactea, an alio modo fiat hæc communicatio nondum evictum est. A placentâ sanguinem ad fetum migrare per venam umbilicalem, per arterias ad placentam redire omnibus notum est. Multæ verò intersunt inter circulationem fetūs & adulti differentiæ de quibus non agemus. Unum tantum problema hic solvendum insumemus de necessitate vel non necessitate ligandi funiculum umbilicale in recens nato.

I I.

Funiculum umbilicale constituunt duo vasa modò dicta. Abfcindi post nativitatem necessum est, ut a placentâ fetus separetur. In brutis abrumpi absque hæmorrhagia sciunt: funiculum mordendo nempe contundunt matres & sine ullo adminiculo pars superstes exsiccata decidit. Non idem agunt homines; a maximâ antiquitate duplex ligatura funiculo injicitur, & inter illas sectio instituitur, ita præcavetur hæmorrhagia matris & fetūs. Unde hæc brutorum supra homines prærogativa? An verum adest hæmorrhagiæ periculum? An a contusione & dilaceratione per dentium impressiones factâ in animalibus? An sanguine magis turget funiculus umbilicalis humanus? An inutilis censi debet hæc ligatura? Experientiam anatomiâ suffultam investigando, hujus problematis solutionem deprehendemus.

I I I.

Si primò experimenta inquiramus, multas, uti solent, dissensiones reperiemus. Alii quippe hanc ligaturam necessariam credunt, alii inutilem censem, ad experientiam omnes clamitant. Sic doctissimus HALLERUS *Elem. physiol.* tom. 8, p. 441, qui summâ suâ eruditione authorum testimonia justâ bilance prohibet, alios affirmantes, alios negantes affert. Authoritates comparavimus, & revera sunt observationes utrique sententiæ faventes. Ad necessitatem ligaturæ inclinat celeberrimus author L. C. hac sententiâ fatus. *Rarò genus humanum errat quando consentit*, cuī afferto in physicis minorem vim concedimus.

I V. ·

Alia adhuc argumenta ex anatomia addit laudatus Author. Vedit nempe liquores injectos in vasa fetūs per resecti umbilici vasa effluentes. Sanguinis motum in vena & in arteriis umbilicalibus sat validum vidit. Plures testari fetum periisse resecto umbilico & non ligato prohibet. Neque laceratus funiculus umbilicalis more brutorum ab hæmorrhagia fuit immunis; populi barbari qui funiculum mordicūs abrumpunt, tamen ligant. Alii ex funiculo sanguinem effluxisse viderunt, & ubi non effluxit, id a debilitate pendere afferit.

Cur in hoc bruta ab homine differant, ulterius urget celeberrimus Author, ab eo nempe quod sanguinea magis sit hominis placenta, quod ampliora sint umbilicalia vasa; addit aliorum & equorum pullos ex umbilicalium vasorum sectione periisse, testimonio Berengarii fatus; ipse funesta exempla hujus ligaturae neglectae refert. SCHULZIUS adversarie sententiae fautor non ausus est proprios infantes in speculationis fidem umbilicis tollere liberis.

V I.

Iisdem inducti ratiociniis & experimentis authores medicinæ forensis, mortis reos illos autumant qui prolem ita sine ligatura umbilici exponunt. vid. *Hebenstreit anthropol. forens. p. 418.* Hanc tamen addunt circumstantiam quod si laceretur funiculus, minus sit periculum, & cautions dant incisori habendas, si de morte infantis per hanc causam pronunciare velit; unde patet quod non in omnibus circumstantiis mortem certam adducere estimet absentiam ligaturae funiculi umbilicalis.

V I I.

Observationem tradidit eruditus SCWEIKHARD *de non necessaria funiculi umbilicalis deligatione Argentorati 1769* quâ constat, quod sine ligatura funiculi umbilicalis vivat fetus, & authoritatem expertissimi D. FRIED in arte obstetricia magistri allegat, qui saepius experimenta circa hanc rem instituit, haemorrhagiam verò inde natam nunquam observavit. Evidem cum non necessaria sit in brutis, etiam illam in fetu humano nascente omitti posse estimamus.

V I I I.

Rationem hujus asserti ex anatomicis eruere possumus, quippe naturali viâ incedens sanguis post nativitatem, ab arteriis umbilicalibus viam deflectit. Arteriae hypogastricæ minorem resistentiam offerunt in neonatis ac arteriae umbilicales, ob angulum retrogradum quem sequuntur ultimæ. Viam igitur faciliorem sequitur sanguis & ad extremitates inferiores tendit.

I X.

Cur ergo pericula & mortes ex absentiâ ligaturae funiculi umbilicalis observarunt nonnulli quorum fidem negare non possumus? Rationem elegantem & veram proposuit recentior quidam author celeberrimæ facultatis Parisiensis Medicus Cl. Alphons. LEROI *Recherches sur les habilemens des femmes & des enfans Paris 1771 p. 60.* Observavit nempe laude dignus author, quod si post abscissum

funiculum , sine ligatura , relinquatur sibi ipsi puer modò natus , sanguinem non fundant dictæ arteriæ. Si verò pectus vel abdomen , vel utrumque fasciis & ligaturis , uti pessimus mos est , constringatur , tunc magnâ vi prorumpit cruar & periculum mortis brevî instat. Hoc experimentum saepius repetiit laudatus author , unde concludit ligaturam funiculi umbilicalis esse inutilem , si sibi ipsi relinquatur recens natus : inde HUNTERUS expertissimus Chirurgus Londinensis vincula funiculo non injicit , & pueros fasciis non retinere jubet. Sic veritas ex errore nascitur , & patet quod sine periculo mortis omitti possit ligatura funiculi umbilicalis , si sibi ipsi relinquatur recens natus absque fasciis.



THESES MISCELLANÆ.

I. Ad explicandum generationis mysterium , admittenda sunt germina.

II. Menstrui effluxûs rationem non reddit plethora , neque leges hydraulicæ explicant , multo minus fermenta.

III. Subtilissimus quidam liquor in cerebro separatur , qui per nervos defertur ad omnes partes corporis , pro exercendo sensu & motu.

PROPOSEBAT NANCEII,

D. ELIPHIUS-FELIX VERDUN Theonifvillanus ,
Diœcesis Metensis.

PRO BACCALAUREATU
M E D I C O.

NANCEII : Ex Typis SEBASTIANI BACHOT , Regis & Universitatis Typogr. & Bibliop. Jurati.





Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3034685x>

